ELBINGAM
SIBI GRATULANTEM,
Cum
VIR
PERMAGNIFICUS, GENEROSUS,
MAXIMEQUE STRENUUS,
DOMINUS

SIGISMUNDUS SIEFFERTUS,

Reipublicæ Elbingensis Præ-Consul
Meritissimus,
PRIMOS

PRÆSIDIATUS

HONORES,
Divino Munere,
Unanimi
PATRUM
Suffragio,
Magnoque Civium Adplausu,
D. XVII. Mart. A. O. R. MDCCXXII.
feliciter collatos capesseret,
Observantiam MÆCENATI suo submisse
probans,
Congratulando sistere voluit
GYMNASIUM PATRIUM,
operam adhibente
M. Jo. MICHAELE HEMPELIO,
Gymn. Prof.

ELBINGÆ, Typis SAMUELIS PREUSSII.



SIGISMUNDUS SIEFFERTUS,

per Anagramma:

Tu meis surgens sis fidus.

Item:

Fiet surgens fidus Musis.



TU, SIEFFERTE, *meis surgens sis fidus* amore
PRÆSES, sub tanto curarum pondere pressam
Suffulcire humeris contendens fortibus *Atlas*?
Tu, cujus passim celebrata est enthea virtus,
Consilio pollens, rerum fandique peritus;
Cujus sancta fides, animosi plena vigoris,
Nec non justitiæ studium rectique cupido
Clarorum volitat ferturque per ora virorum,
Me fessam in gremium recipis pietate tuendam?
Tu surgis, Phœbo surgente, ut Sol mihi magnus,
Pulsurus tenebras, circum mea mœnia fusas,
Ac radiis virtutum adlaturus mihi lucem?
Tu, fidus rerum *Moderator Duxque* mearum,
Quassatæ navis regimen virtute prehendis
Invicta, haud trepida prospectans mente labores

In-



Innumeros, TIBI quos arcessit cura regendi;
Nec cupiens, nisi me servare, pericula cauto
Pellere consilio, revocareque pristina sæcla;
Ergo *meis* rebus sunt commoda tanta parata,
Usus quæ docilis rerum atque peritia spondet,
Per longam annorum seriem TIBI parta, PATRONE,
Judicioque gravi magnis exercita rebus:
Quæ tantus, qui mente vigor vultuque relucet,
Tantaque vis lingvæ, sapienter pectora mulcens,
Tantum animi invicti robur promittere cœpit;
Drusipolis felix! Ergo jus fasque manebunt,
Florebuntque tuæ res, sæva abeunte procella;
Cum TIBI det summus magni Dominator Olympi
Munitos valido virtutis robore *PATRES*,
Invigilare tuæ doctos cupidosque saluti,
Queisque nihil magis est quam res tua publica curæ.
Plaudite læti igitur cives! Soboles mea gaude,
Exsultaque, tibi gratans de sorte benigna!
Grata bono tanto votis occurre sacratis,
Fortunam excipiens, quæ præsto est, mente serena!
Vos quoque, *Drusiades*, plausus conjungite, *Musæ*,
Testantes animi submisso gaudia nutu.
Fiet enim *surgens Musis* quoque *fidus*, & amplas
Virtutis, queis claret, opes artesque verendas,
Plurima quæ possunt, vestros impendet in usus.
Hoc pietatis amor spondet studiumque juvandi
Artis cultores, quibus est sapientia cordi.
Nam non esse potest *Musarum* infidus amator,
Harum qui largas sibi opes fervente paravit
Ingenio, cui se *Charites* junxere sorores;
Egregiis studiis cui conciliata Minerva,
Imbutumque piæ pectus probitatis amore est.
Surge igitur felix, VIR *Magne*, ac utere sorte,
Quam TIBI Jova dedit summus, splendoreque fulge
Conspicuo, terris velut admirabile Sidus:
Fac *Musas*que tuas tuearis fortibus ausis,
Præsidioque *meis* sis civibus atque saluti!
Surge, diu ut præsis, res fortunante *Supremo*,
Adplaudente *PATRUM Venerandorum* mihi Cœtu
Augusto, cujus *CAPUT* es *Venerabile* factus!

Sur-

Surge bonis avibus: tristis sint nescia casus,
Nescia grassantis Martis, mœstæque ruinæ
Tempora, queis animo forti mea tecta tueris!
Surge, ut ego surgam, multorum pressa laborum
Ingenti cumulo, mea res ut sorte refecta
Splendidiore, DEI Clementis munere, faustis
Auspiciis crescat, stabilem teneatque vigorem!
Surge, piæ augescens studio virtutis, ut ardens
Numinis & vigeat studium cultusque *Supremi*,
Nec vanis precibus votisque vocetur iniquis.
Surge, *Verendorum* PATRUM comitante Corona,
Queis, meritis magnis, cana & virtute coruscis,
Publica firmata est mea res innixa columnis!
Servet *Eos* bonitas *divini Numinis* alma,
Annis Nestoreis auctos rebusque secundis,
Viribus atque novis faxit revirescere salvos!
Surge vigore novo, eximiis virtutibus utens!
Herculeos animo vincente capesse labores;
Ut par sis rebus præclare semper agendis,
Præsidiumque tuum seros celebretur in annos!
Lætare, ut TIBI sit lætandi caussa perampla,
Lætitiamque *meis* parias quoque *Drusidos* arvis,
Cui placidus verno splendescat tempore *Phœbus*,
Ac citra numerum sese volventibus annis,
Tu Fidus PRÆSES *mihi fias* sæpe *resurgens*.

